DE RE SACRAMENTARIA GENERATIM

TUM DE SINGULIS DIVINO MUNERE

A CHRISTO DOMINO IN ECCLESIA INSTITUTIS

SIGNIFICANDAE AC EFFICIENDAE GRATIAE MYSTERIIS

DOGMATICO-SELECTAE THESES

QUAS

INCLITO GUSMANAE FAMILIAE PARENTIS

DICATAS NOMINI

PUBLICO CERTAMINE VINDICANDAS ADGREDITUR

FR. THOMAS ANGELICUS DIOMEDES
DE SCHELLERSHEIM

IN COLLEGIO S. THOMAE DE URBE

ORDINIS PRAEDICATORUM

THEOLOGICAE FACULTATIS AUDITOR

Facta cuilibet a tertiis vindiciis
singulas oppugnandi potestate.



ROMAE MDCCCXXV.

EX TYPOGRAPHIA PEREGO-SALVIONIANA

PERMISSU PRAESIDUM.

GERMANAE SANCTORVM . FIDEI

PROPVGNATORI . VINDICI

STRENVO . FELICI . ADMIRANDO

DOMINICO

AB AVITO . CELSISSIMOQVE . PERILLVSTRIS . FAMILIAE . NOMINE

DE GUZMAN

PRAECONVM . ORTHODOXAE . VERITATIS . ORBE . TOTO

AMPLIFICANDAE

ANTESIGNANO . INSTITVTORI . DVCI

OB PRAECLARA . DIVINAE . SAPIENTIAE . SPECIMINA

TRIVMPHATIS . HAERESIBVS

ADSERTIS . DOGMATIBVS . MORIBVSQVE

AD OMNIGENAM . PIETATEM . COMPOSITIS

DE LITERIS . DE . RELIGIONE

DE CHRISTI . ECCLESIA . VNIVERSA

EGREGIE : MERITO

SVAM . DE . RE . SACRAMENTARIA . DISCEPTATIONEM

OBSEQVII . DEVOTIONIS . ERGO

D. O. C.

FR. THOMAS . ANGELICVS . DIOMEDES . DE . SCHELLERSHEIM

De Cœlo ista Sacramenta venerunt: consilium omne de Cælo est. *D. Ambros. De Sacram. L. 4.*

DE SACRAMENTIS IN GENERE, ET IN SPECIE

SELECTAE THESES

De Sacramentis in Genere.

I.

Sacramenti nomen quod morosi ex novatoribus plerique aversantur, merito symbolis quibusdam sacris ab Ecclesia tributum fuisse constat.

II.

Rei porro quae nomine ipso accuratissime designatur, veram, germanamque definitionem produnt cordatiores Theologi ex Tridentinae Synodi Catechismo iis verbis: *Sacramentum est res sensibus subjecta quae ex institutione Dei Sanctitatis et justitiae tum significandae tum efficiendae vim habet.*

III.

Exploditur proinde dirisque omnibus devovetur Socinianorum descriptio illa haeretico plane stylo exarata: *Sacramentum est nudum et simplex signum quo Christianus vel Judaeus a Gentili distinguitur.*

IV.

Rursusque alia ceu profana commentitiaque expungitur, quam sic effutiere Anabaptistae: *Sacramenta sunt allegoriae seu signa quaedam vitae spiritualis morum atque bonorum operum, quibus admonemur bonis operibus nos exercere.*

V.

Cum iis vero haud leviori sane capiuntur dementia quotquot Zuinglio duce ac Patrono, Sacramenti naturam hoc pacto explanare adgrediuntur: *Sacramentum nihil aliud est quam oppignoratio quaedam, qua se homines obligant Christo ejusque militiae nomen dant.*

VI.

Castigari demum pro meritis eorum audacia minime potest, qui novam in Apologia Confessionis Augustanae Art. 13. Sacramenti definitionem ita conflabant: *Sacramentum est ritus qui habet mandatum annexum, et cui est addita promissio gratiae.*

VII.

Jam definitiones ejusmodi ad unam omnes vir Orthodoxus dum respuit id ponit exinde, Sacramenta eadem *gratiam*, ut vocant, *Sanctificantem* non continere modo, verum etiam efficere, ni obicem afferant suscipientes.

VIII.

Atque eadem gratia quemadmodum a Tridentinis Patribus definitum accepimus *ex opere*, ut ajunt, *operato* per Sacramenta eadem in nobis producitur.

IX.

Hinc longe maximum eruitur discrimen veteris inter ac novi foederis Sacramenta.

X.

Ea quippe nullius gratiae efficiendae potis erant, sed illam duntaxat per passionem Christi largiendam praemonstrabant.

XI.

Aliud item ex eo dogmate consectarium apprime derivamus, legis nempe Evangelicae Sacramenta non eo tantum discriminari a Sacramentis antiquae legis, quod caeremoniae sunt aliae, aliique externi ritus.

XII.

Symbola haec quotquot extant novi foederis fuisse a Christo Domino instituta, Dogma fidei est falli nescium, Tridentinae Synodi oraculis vindicatum.

XIII.

Rationi praeterea Theologicae, Doctrinaeque fidei apprime consonum est Symbola eadem, nedum ab Servatore ipso immediate fuisse instituta, verum ad mentem Tridentinorum PP. et *quoad substantiam* determinata.

XIV.

Ad numerum porro, quod spectat eorumdem, neque plura quam septem, neque pauciora recensentur videlicet: *Baptismus*, *Confirmatio*, *Eucharistia*, *Poenitentia*, *Extrema Unctio*, *Ordo*, *ac Matrimonium*.

XV.

Licet autem omnia singulis ad salutem necessaria minime profiteamur, quaedam nihilominus ejus necessitatis existunt, ut nemo citra ipsa aut eorum votum salutem adipisci queat.

XVI.

In tribus Sacramentis *Baptismo* scilicet, *Confirmatione*, et *Ordine* Anima indelebili notatur, insigniturque Charactere!

XVII.

Ea propter Sacramenta, quibus Character ille imprimitur nullatenus absque Sacrilegii crimine iterari queunt.

XVIII.

Quamvis dein omnia novae legis Sacramenta divinam admirabilemque virtutem praeferant, non adeo tamen inter se paria sunt quod nulla ratione aliud alio dignius existat.

XIX.

Ast dignitati huic eximiae quamlibet nequidquam officit in laethali constitutus Sacramentorum Administer; modo omnia essentialia, quae ad Sacramentum conficiendum pertinent adhibeat.

XX.

Nec iterum validae Mysteriorum eorumdem dispensationi adversatur impia Ministrorum fides, adeo ut a quopiam vel infideli administrari queant servatis iis quae ad essentiam illorum spectant.

XXI.

Denique receptos probatosque Ecclesiae Catholicae ritus, in solemni Sacramentorum administratione contemnere, pro lubito omittere, aliosque inducere nemini absque ingenti piaculo fas erit.

De Baptismo.

XXII.

Hominum cuilibet post evulgatum Evangelium Baptisma necessarium adeo est ad salutem, quod nisi eo renascatur in aeternam perniciem a parentibus sive infidelibus, sive fidelibus procreetur.

XXIII.

Quae sane omnibus explorata Baptismi necessitas, actuosaque virtus efficiunt protinus Sacramentum idem a veteri circumcisione toto coelo discriminari.

XXIV.

Cumque Hebraeorum ritus ille, nil praeterea quam Christiani Baptismatis umbram figuramque exhiberet; hoc iterum eruere pronum est, veritate semel illucescente exolere penitus debuisse.

XXV.

Sacramenti porro hujusce materia nulla, nisi vera, et naturalis aqua intelligitur, errantque nequissime quotquot verba illa Christi Domini: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua* etc. ad metaphoram Calvino praeeunte detorquent.

XXVI.

Nihil jam vero ad Baptismi substantiam interest sive aspersione sive infusione, aut immersione tradatur.

XXVII.

Quin a quibusvis licet vel infidelibus conferatur, dummodo ea forma ac materia utantur quam ex Christi mandato semper Ecclesia Catholica servavit, idque efficere propositum illis sit quod illa efficit, valida erit ejus collatio quaecumque.

XXVIII.

Praescriptionem hujusmodi cum Romana praesertim Ecclesia agnoverit semper docueritque; immanis fallaciae insignisque impudentiae

merito arguit Samuelem Basnagium, Io: Vossium, Franc. Buddeum, Guill. Cave Antonium de Dominis, Blondellum aliosque heterodoxos; qui ex odio in Romanos Pontifices commenti sunt, Stephanum R. P. dum Afrorum et Orientalium rebaptismum damnavit, probasse omnium haereticorum baptisma, vel eorum qui formam in Evangelio praescriptam minime servabant.

XXIX.

Apta praestitutaque ab Servatore ipso conferendi Baptismatis forma Divinam habens originem, et imperium, in expressa Trium SS. Trinitatis Personarum invocatione sita est.

XXX.

Invocationi huic quotquot praeludunt acceduntve externi ritus Sacramentalia nempe, Baptismi licet essentiam haud compleant; nullimode tamen ab Ministrorum arbitrio pendent, quod praetermitti ab iisdem sine impietate queant.

XXXI.

Hominis labem nedum primigeniam, sed et propriam actualemve quamlibet, virtute sua delere potis est Baptisma.

XXXII.

Atque id muneris ope, sanctificantis gratiae, nobilioris instar baptismi effectus experiri prorsus indubium est.

XXXIII.

Nec tamen eorum sententiae accedimus, qui pueros eosdem tuto vel invitis parentibus baptizari posse comminiscuntur.

XXXIV.

Baptismo demum aquae non ita homines obstringuntur, quominus eo deficiente, baptismo etiam Sanguinis aut flaminis suppleri possit.

De Confirmatione.

XXXV.

Confirmationem ceu verum propriumque legis Evangelicae Sacramentum, Catholica Ecclesia haud interrupta traditione retinuit.

XXXVI.

Idcirco hallucinatur cumprimis Lutherus qui in impio opere (de Capt. Babyl. lib.) . . . haec habet: *Satis est pro quodam ritu Ecclesiastico, seu caeremonia Sacramentali Confirmationem habere, similem caeteris caeremoniis consecrandae aquae aliarumque rerum.*

XXXVII.

Nec minus a vero abludit, quod una cum Calvino inscite admodum, ac nefarie blaterat Melancton scribens: *Confirmatio olim fuit exploratio doctrinae, in qua singuli recitabant summam doctrinae, et ostendebant se dissentire ab Ethnicis et haereticis, sed nunc*

ritus Confirmationis, quam retinent Episcopi est prorsus otiosa caeremonia.

XXXVIII.

Hac item de causa merito vapulant Kemnitius, Dallaeus aliique asserentes manuum impositionem in Sacramento Confirmationis adhibitam praeter manifesta dona, olim nihil aliud contulisse, dum e contra perpetua Ecclesiae fides in hoc Sacramento Sanctificationis gratiam agnoscit, fateturque.

XXXIX.

Veri nominis igitur Sacramentum Confirmatio cum sit, propria exinde materie carere nequit, quae in manuum impositione proximaque Unctione Chrismatis ex perenni ad nos usque Ecclesiae praxi constituitur.

XL.

Sacri hujusce ritus formam in verbis, quae materiei utriusque adplicationem comitantur optime reponimus.

XLI.

Ordinarium porro Confirmationis Ministrum Episcopum continenter extitisse ratum omnino haberi debet; quod ab hac nimirum sententia universa PP. traditio stet penitus ineluctabilis.

XLII.

Quapropter nihil est quod perduelles Ecclesiae osores in eam propositionem jam a Concilio Constantiensi damnatam occentare audeant, profanis iis vocibus iterum, iterumque in sciolorum vulgus editis: *Confirmatio reservatur Papae, et Episcopis propter cupiditatem lucri temporalis*.

XLIII.

Ast aequissimas licet ob causas perficiendae Confirmationis ministerium Pontifici Praesulibusque reservetur, extendi nihilominus ex peculiari Pontificis ejusdem concessione ad simplices quosque Presbyteros non repugnat, ut scitissime in hanc rem docet Praeceptor Aquinas.

XLIV.

Postremo idem Christianae militiae Sacramentum renatis quibuslibet, de jure cum divino, tum Ecclesiastico praecipi exploratissimum est.

De Eucharistia.

XLV.

Oppido, turpissimeque hallucinantur quotquot, Zuinglio auctore, mentiuntur de Sacramento Eucharistiae, institutionis Verba non propria ac literali, sed metaphorica dumtaxat significatione interpretari oportere.

XLVI.

Errant item gravissimeque, Luthero duce, gregales, qui una cum

corpore Christi Domini, et Sanguine, substantiam panis et vini post consecrationem remanere in Eucharistia comminiscuntur.

XLVII.

Servator ipse Divinissimus haud occulta, inauditaque prorsus benedictione consecrandae Eucharistiae usus fuit, sed apertis ac determinatis verbis scilicet: *Hoc est corpus meum* pro consecratione panis, *hic est enim Calix* etc. pro consecratione vini.

XLVIII.

Ratum propterea tutissimumque divinis oraculis efficitur Orthodoxae fidei dogma; contineri videlicet in Sanctissimo Eucharistiae Sacramento vere realiter ac substantialiter corpus et sanguinem una cum anima, et divinitate ejusdem Domini Nostri Jesu Christi.

XLIX.

Totus idem Christus continetur sub quavis specie ac sub singulis speciei partibus, separatione facta.

L.

Eaque vera realisque praesentia nedum in usum viget, cum nempe a fidelibus percipitur Sacramentum; sed in iis praeterea particulis, quae post Communionem asservantur integra perseverat.

LI.

Christus exinde in Eucharistia sumitur non spiritualiter modo, sed sacramentaliter et realiter.

LII.

Ex hac ideo Ecclesiae Doctrina, nec non ex Apostoli monito (ad Corinthios I.) statim evincitur nemini cum laethalis criminis conscientia fas esse ad tam sublime mysterium capessendum accedere, ne mortem, et una simul condemnationemque sibi sumat.

LIII.

Qua de re jure optimo ab Sacrosancta Tridentina Synodo sancitum fuit (Sess. 13. de Sacr. Euchar.Cap.11.) ut qui in laethali piaculo detinentur, contriti licet sibi videantur habita nihilominus Confessarii copia, Sacramentalem Confessionem praemittere debeant.

LIV.

Parvulis porro antequam rationis compotes fiant, non est necessaria Sacramenti Eucharistiae perceptio, cum ut Tridentinum habet, *illa aetate adeptam jam per Baptismi lavacrum filiorum Dei gratiam amittere non possint*.

LV.

At vero adultis quibusque Christifidelibus Sacramentum hocce sumere ad salutem necesse est, non quidem *necessitate medii*, sed *necessitate praecepti*.

LVI.

Praeclarum illud mysterii ejusdem insigni ope consequitur, ut

veniales quaeque per ipsum noxae *directe* remittantur; quod Ambrosius innuens ait: *Sumitur in remedium quotidianae infirmitatis*.

LVII.

Homines insuper illius perceptione a peccatis futuris praeservari, laudata Tridentina Synodus aperte testatur.

De Sacrificio Missae.

LVIII.

Divinissimum Eucharistiae Sacramentum, prout a Christo Domino institutum fuit, veram etiam propriamque novae legis Sacrificii rationem sibi vindicat.

LIX.

Sacrificium porro istud nedum in quadam passionis memoria, seu gratiarum actione expletur, quod temere autumant heterodoxi; sed *propitiatorium* quoque existit pro vivis et defunctis.

LX.

Pellitur hinc exploditurque eorum vesania, qui Luthero morem gerentes, illud in Augustana Confessione somniarunt, nulla praeterea excipienda in religione sacrificia, quam quae laudis nomine veniunt, cujusmodi *grates pro beneficiis sunt*, *praedicatio Evangelii* etc, verbo laudabilia quaevis SS. Opera.

LXI.

Mos jamvero Sacrificii Eucharistici in Ecclesia ob Sanctorum memoriam honoremque offerendi, haud infert vere proprieque Beatis ipsis latriae ejusmodi veluti tesseram adhiberi; sed uni duntaxat Numini penes, quem deprecatores illos profitemur, quorum geritur in terris memoria.

De Poenitentia.

LXII.

Poenitentia qua virtus est, ac rursus qua Sacramentum spectari potest. Ad primum quod attinet nedum quamlibet anteactae vitae mutationem, sed criminum praeterea odium punitionemque veri nominis efflagitare contendimus.

LXIII.

Alio vero nomine proprium, insigneque novi foederis Sacramentum existere, ac designare, Orthodoxorum, nemini dubium esse potest.

LXIV.

Idque simul quod extat, designatque reconciliationis mysterium aliud penitus a Baptismate fore, aequo jure vindicamus.

LXV.

Pollet exinde suis aliorum instar partibus, congrua nempe forma, aptaque materie.

LXVI.

Quam peccatorum scilicet revelatio, eorumdemque animo concepta contritio cum proposito satisfaciendi, perficiunt absolvuntque.

LXVII.

Eadem porro animi perfecta contritio, voto emittendae confessionis addito, poenitentem ex integro ac reapse justificat.

LXVIII.

Actu vero Sacramentum idem suscipientibus, perfecta contritio haudquaquam ex necessitate requiritur, quo integer justificationis ejusdem effectus assequantur.

LXIX.

Errat Lutherus et cum eo gregales, timorem quempiam servilem, ceu noxium fictionique veluti incitamentum eliminantes.

LXX.

Ast bonus licet timor ille censeatur, non ideo tamen eruendum se solo potis esse ad justificationem operandam, nisi amor qui penes Theologos *initialis* audit, praecesserit aut comitetur.

LXXI.

Jam autem amoris ejusdem nomine haud spei aut concupiscentiae, sed Charitatis ac benevolentiae affectus intelligitur.

LXXII.

Divina prorsus auricularis Confessionis origo atque institutio, sin minus evidenter, haud obscure tamen ex novi foederis oraculis eruitur.

LXXIII.

Stat vero illa firmaturque egregie, perenni ab Apostolorum aevo fluente traditione.

LXXIV.

Integralis altera quam vindicamus Sacramenti pars, existit satisfactio actu expleta, cui adstruendae magis asseritur.

LXXV.

Post culpam aeternamque in Sacramento Poenitentiae remissam poenam, alterius adhuc poenae temporalis, videlicet superesse reatum *satisfactoriis operibus* eluendum.

LXXVI.

Eas exinde jure suo Poenitentiae Administri fidelibus quotquot accesserint, obeundas imponunt.

LXXVII.

Ast praeire necessario absolutioni opera ejusmodi, nullibi ab Ecclesia praeceptum est.

LXXVIII.

Satisfactionis partes quo celerius, faciliusque impleantur, praestat eximie fidelibus quibusque uti Indulgentiis, quorum Thesaurus penes Ecclesiam viget, meritoque ab eadem in animorum salutem quotidie impenditur.

LXXIX.

Easdem porro Indulgentias *ad modum*, ut vocant, suffragii Animabus item in Purgatorio detentis prodesse mirifice, communis est Theologorum assertio.

LXXX.

Unis dumtaxat Sacerdotibus datum est, vi Characteris potestatisque, Sacramenti Poenitentiae Ministerio fungi.

LXXXI.

At non una item *potestas*, ut ajunt, *ordinis* ad id sufficit, ni praeterea ceu comes individua et *potestas jurisdictionis* accedat.

De Unctione Extrema.

LXXXII.

Procax non secus ac furens avitae fidei temerator Calvinus arguitur, quod vesana illa dicteria prompserit in lib. 7. Inst. c. 19. n. 18. *fictitium Sacramentum est Extrema Unctio, histrionica hypocrisis quam citra rationem, et sine fructu ad Apostolos referre, Catholici volunt.*

LXXXIII.

Quam ineptam putidamque calumniam, ut pro nostra virili refellamus, hoc imprimis ad Catholicae veritatis amussim propugnamus, Extremam infirmorum Unctionem, qua Ecclesia utitur, vere et proprie novae legis Sacramentum esse a Christo Domino institutum.

LXXXIV.

Dogma idem nedum ex facti testimonio, sed ex perenni insuper Apostolorum traditione cordato cuilibet apprime suadetur.

LXXXV.

Ex laudatis porro Scripturae oraculis, nec non ex perpetua Ecclesiae consuetudine eruitur, solos infirmos suscipiendae Extremae Unctionis capaces esse, quod praesertim sentiendum ad latinae Ecclesiae normam de iis, quorum mors jam proxima conjectatur.

LXXXVI.

Rem, ac effectum Extremae Unctionis omnem, hisce S. Jac. verbis contineri haud obscure colligimus: *Oratio fidei salvabit infirmum, alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit dimittentur ei.*

LXXXVII.

Jam vero haec verba intelligi per se, ut inquiunt, ae primo de reparanda animi infirmitate seu peccatorum reliquiis, Angelico Duce propugnamus.

LXXXVIII.

Ceu effectus insuper secundarius hujus Sacramenti, Tridentino assentiente, ubi animae saluti expedierit, corporis valetudo haberi debet.

LXXXIX.

Materia denique, ac forma, quae ab Catholica Ecclesia in hujusce Sacramenti traditione adhibentur, divinam pandunt originem institutionemque.

De Ordine.

XC.

Sacrarum literarum, Apostolicae traditionis, nec non Patrum quorumque luculentissimis testimoniis inhaerentes, per Sacram Ordinationem verum ac proprium conferri novae legis Sacramentum ceu fidei dogma profitemur.

XCI.

Idque propterea, Sacrum Ordinem nequicquam humani instar cujusdam figmenti ab rerum Ecclesiasticarum imperitis in vulgus editi.

XCII.

Ea praesertim de causa, quod sacrae eaedem literae quam apertissime innuant, Sacerdotium ab eodem Servatore Domino institutum fuisse, atque Apostolis eorumque Successoribus in Sacerdotio potestatem traditam consecrandi, offerendi, et ministrandi corpus, et sanguinem ejus, nec non solvendae noxae cujuslibet, retinendaeque.

XCIII.

Quod cum evincitur, illud etiam fit consequens, novi foederis Sacerdotium esse non officium dumtaxat, sive nudum ministerium praedicandi Evangelium, adeo ut qui praeco semel esse desierit, nec Sacerdotio de caetero fungi queat.

XCIV.

Hinc ad rem Tridentinum definivit, per Sacram Ordinationem dari Spiritum Sanctum, neque perperam Episcopum ea verba proferre: *Accipe Spiritum Sanctum*.

XCV.

Sacerdotes item charactere penitus indelebili in Ordinatione adeo insigniuntur, ut semel rite ordinati illud amplius quavis de causa amittere nequeant.

XCVI.

Risu proinde vel contemptu potius excipitur futilis ea Novatorum quorumdam assertio, qua tantopere jactant omnes Christifideles promiscue Novi Testamenti Sacerdotes esse, omnesque nullo facto discrimine spirituali eadem potestate donari.

XCVII.

Quam scilicet vesanam calumniam, ut strenue feliciterque refellamus, nobis illico praesidii instar ineluctabilis Tridentinae Synodi se prodit Canon ille percelebris: *Si quis dixerit in Ecclesia Catholica non esse Sacram Hyerarchiam divinitus institutam, quae constat ex Episcopis, Presbyteris, et Ministris anathema sit.*

XCVIII.

Hac insuper definitione apprime edocemur, potestatem illam, quae penes Episcopos residet, haudquaquam Presbyteris aequo jure tribuendam.

XCIX.

Quin etiam divino jure Praesules eosdem Sacerdotibus anteire majoresque illis reapse existere, potestate cum *ordinis*, tum *jurisdictionis*, extra omnem dubitationis aleam constituitur.

C.

Ordines itaque ab iisdem collati, vel absque saecularis potentiae populique suffragio, aut electione, irriti censeri nequeunt.

CI.

Interim ab Ecclesiae exordio, praeter eos de quibus in sacris literis mentio fit, sequentes Ordines eorumque munera viguisse, Ecclesiasticarum rerum tractatores ad veteris disciplinae amussim ostendunt numerantque seorsim: *Subdiaconos, Acolythos, Exorcistas, Lectores, et Ostiarios.*

CII.

Sacrae dein quae Ordines ipsos comitantur caeremoniae ritusque, ab inusta eisdem per viros haeterodoxos futilitatis labe, longe adeo abludunt, ut cuivis praeterea Ecclesiae praxim, juraque repetenti utillima, dignaque prorsus sacrorum mysteriorum ornamenta videantur.

De Matrimonio.

CIII.

Descriptis hactenus divinissimis Ecclesiae Sacramentis, Matrimonium item postremo loco accensendum, sin minus aperte Scriptura, SS. veterum PP. profecto haud interrupta traditio, jubet suadetque.

CIV.

Garriunt proinde cum Luthero, ac Joanne Gerardo contribules reliqui, dum Sacramenti nomen improprie dumtaxat Matrimonio aptari comminiscuntur.

CV.

Jam ritus ejusdem sacri quod spectat Administrum, aliter licet sentiant vel ex nostratibus Theologi plerique, in persona dumta-

xat Contrahentium, Aquinate Duce, ac propugnatore, constituimus.

CVI.

Arctis adeo nexibus efficitur Matrimonii vinculum, ut si verum illud legitimumque sit, divini juris vetito solvi nullatenus queat.

CVII.

Hanc item insolubilitatem, ut ajunt, vinculi, Naturae jus quod *secundarium* appellant apprime suadet,

CVIII.

Jure pariter eodem (*secundario* nempe) Matrimonii unitas evincitur; simultanea exploditur polygamia.

CIX.

Ea tamen licuit quondam post diluvium, videlicet ex dispensatione divina, cui omnia, quae *secundarium* spectant Naturae *jus*, omnino subjiciuntur.

CX.

Patet hinc quam immerito uxorum multiplicitas SS. Patriarcharum ad humani generis propagationem obtinens, diris omnibus a Calvino devoveatur.

CXI.

Eam ob rem sive haereseos, sive molestae habitationis, sive affectatae absentiae causa, minime solvitur Matrimonii vinculum.

CXII.

Nec potior ratio est adulterii crimen, sive unius, aut alterius conjugum, ea quae ab legibus mors civilis audit.

Disputabuntur in Aedibus Sanctæ Mariæ supra Minervam Die 11. *Aug.* 1825. *hora* . . . .

Præside Adm. R. P. Fr. Pio Galeotti in Collegio S. Thomæ S. Teologiæ Baccalaureo et Pro-Reg.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo P. S. Pal. Apost. Magistro.

J. Della Porta Patriarcha Constantinopolit. Vicesg.

NIHIL OBSTAT.

Fr. Angelus Capponi Sac. Theol. Mag.

IMPRIMATUR,

Fr. Thomas Dominicus Piazza Ord. Praed. S. T. M. et S. P. A. Pro-Mag.